DE BLEPHAROBLENNORRHOEA MILITARI CONTAGIOSA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS-MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE III. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXLIX
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
Rudolphus Hesse
SAXO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

H. HABENICHT, med. et chir. Dr.
TH. WICHARDS, med. et chir. Dr.
A. EHRECKE, med. et chir. Stud.

BEROLINI,
TYPIS B. SCHLESINGER.

PRAECEPTORIBUS

SCHOLAE MEDICO-CHIRURGICAE
PARTHENOPOLITANAE

VIRIS ILLUSTRISSIMIS, HUMANISSIMIS,

OPTIME DE SE MERITIS

HUNC LIBELLUM

PIETATIS DOCUMENTUM ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Perlustrantibus nobis ingentem morborum multitudinem fere nullus occurrit, quem viri omnium temporum praecipueque nostrae aetatis clarissimi magno cum ingenio magnoque cum studio nondum perquisiverint. Nihil igitur eorum successoribus reliquum est, quam ut ea, quae illi observaverint, inter se comparent, comparata observationibus, quas ex indagata morbi cuiusdam natura atque indole ipsi perceperint, adaugeant. Quae cum ita sint, magnas in difficultates incurrit tiro, ex immensa rei medicae copia, saepius atque uberius jamjam tractata, quidquam, de quo agat, sibi electurus. Imprimis autem hoc tempore, litteris artibusque magnopere insigni, virorum illustrissimorum studiis non solum ophthalmologia in disciplinam redacta est, sed etiam singula morborum oculi genera summa industria sexcenties examinata sunt; ita ut forsitan tiro, experientia non satis edoctus, superbiae atque arrogantiae arguatur, quidquam de eiusmodi morbis conscribere ausurus. Nihilominus de blepharoblennorrhoea supra adnotata,

de cuius origine et praesertim curatione medici complures, iique ingeniosissimi, ad hoc usque tempus inter se valde dissentiunt, breviter disserendi consilium cepi. Ad quam rem eligendam eo sum incitatus, quod mihi in exercitu versanti obvenit occasio, morbum istum, in nosocomiis militaribus saepissime emergentem, proprio intuitu cognoscendi, eiusque indolem accuratius perscrutandi. Itaque quamquam de illo morborum genere viri excellentissimi iam permulta ediderunt, tamen res tanta videtur et tam digna, cui et minima pars adiungatur, ut ego quoque ad commentationem hanc concipiendam, quamvis exiguam, impellar, qua non alios edocere, sed ipse morbum illum, exercitui perniciosissimum, accuratius perspicere, eaque ex re fructus non mediocres percipere studui. Quapropter abs te, lector benevole, peto, ut temeritatis me absolvas et quae hoc libello contineantur, animo indulgenti perlegas, et in iudicando summa utaris clementia.

DE MORBI NATURA CAUSIS DENOMINATIONE.

Excepta cholera epidemica, non facile morbum invenies, de quo medici, quaenam sit eius natura atque origo quaerentes, ita inter se dissentiant, quam de illa blepharoblennorrhoea, quam dicunt Aegyptiacam, duobus prioribus huius seculi decenniis omnium fere regionum in nostra terrarum parte sitarum exercitus vexante. Quamvis breve sit tempus, ex quo malum illud obscurum attentius explorare inceperint, tamen infinitus numerus librorum, a viris potissimum ingeniosis de eo scriptorum, prodiit in lucem. Verum enim vero quum huius morbi tam vehemens esset vis, tam insolita eius natura epidemica, tam gravis vastatio, parti corporis humani longe nobilissimae illata, per longum tempus fluctuarunt viri docti, nescientes, quodnam remedium ex ingenti medicaminum copia adhibeant miserrimorum saluti subventuri. Dum enim nil aliud nisi terras, unde morbus emanet, student investigare, atque in iis perquirendis, quae sit ejus indoles genuina e coniunctivae conditione anatomica et physiologica cognoscenda, eruere prorsus negligunt, omnino non

potuerunt assequi, quae utilitatem afferrent usumque praeberent.

E permultis scriptis de ophthalmia Aegyptiaca editis hoc maxime elucet, medicos propter discrepantem, qua hoc malum perspicerent, rationem, in tres discessisse sententias. Alii enim ophthalmiam illam morbum esse censent sui generis, qui in Aegypto endemica inde ab exercitibus Gallicis et Britannicis ad nos translatus militibus nostris quasi insita sit; quapropter Aegyptiacae cognomen ei impertiunt. Alii autem originem istam prorsus denegantes blepharoblennorrhoeam nostram multis ex annis ubique obviam, sed a veteribus medicis non satis accurate observatam et perspectam esse credunt. Huius vero morbi quoddam proprium in eo esse suspicati sunt, quod, simulac ille existat, corpus coniunctivae papillare nascatur, morbum solum, si discedamus ab inflammatione, efficiens. Alii denique blepharoblennorrhoeam contagiosam nihil aliud nisi ophthalmiam catarrhalem esse contendunt, quae jamdudum diligenter explorata conditionibus infaustis et causis epidemicis accedentibus vim illam perniciosam et funestam exserat.

Quae cum ita sese habeant, exsistit quaestio, quam sententiam secuti, quam viam ingressi veritatem assequamur? Magna cum animi sagacitate Eble, auctor ille, qui omnium recentiorum maxime peculiarem mali naturam studuit indagare, ostendit, qui opthalmiam, quam appellant Aegÿptiacam, morbum sui generis ducant, eos non satis circumspecte ac diligenter iudicare.

Idem omnium primus coniunctivae palpebrarum conditiones et affectus acutissime perspiciens (1), postea rem iterum iterumque tractando ad aliam perductus est sententiam, qua profitetur, quamquam ipse prius eandem, quam nunc adversarii, amplexus fuerit opinionem, nunc tamen rectius rem sese cognovisse: „Opththalmia enim, inquit, Aegyptiaca vel contagiosa in universum et pro sua indole eadem est, ac catarrhalis coniunctivae inflammatio, abs qua tantummodo et corpore coniunctivae papillari ab initio gravius affecto, et orta eadem ex re maiori ad chronicum decursum propensione distinguenda est" (2). Itaque hic auctor malum illud, ut apte designetur, inflammationem coniunctivae palpebrarum seu blepharophthalmiam catarrhalem militarem, seu bellicam appellari mavult. Ad hanc de ophthalmia contagiosa sentiendi rationem non solum nostrae patriae, sed etiam Britanniae et Bataviae medici quidam, qui eam cognoscendi saepissime occasionem nacti sunt, accesserunt. Item Mackenzie (3) nomen coniunctivitidis puro-mucosae contagiosae ei indidit, disertis verbis affirmans, ophthalmiam istam nihil esse, nisi catarrhalem, quae quidem ab ea degenerata malignior evadat. Similia statuit Gobée, medicus qui-

(1) Ueber den Bau und die Krankheiten der Bindehaut des Auges mit besonderem Bezuge auf die contagiöse Augenentzündung von Burkhard Eble. Wien, 1828.

(2) Die sogenannte contagiöse oder ägyptische Augenentzündung. Eine Monographie von Burkhard Eble. Stuttgart. 1839.

(3) In the London medical and physical Journal by Macleod. New Ser. Vol I. 1826.

dam in exercitu Batavorum militans, qui, quum nostris temporibus non amplius in dubium vocari queat, signum pathognomonicum ophthalmiae contagiosae, illas videlicet granulationes coniunctivae, in omnibus ophthalmiis adesse, haec professus est: „Secundum progressus, quos litterae nostris diebus fecere, non concedendum est, ophthalmiam aegyptiacam aliud quid exhibere, quam inflammationem coniunctivae palpebrarum et bulbi pervulgatam, quae postea demum et quidem graviore gradu transferatur ad ipsum bulbum; qui morbus e causis catarrhalibus natus iam ab antiquissimis emersit temporibus et quidem in nonnullis Asiae regionibus, e quibusdam causis topicis saepius, quam apud nos, ubi tamen omni tempore ingravescere et conditionibus haud infaustis oblatis contagiosa et epidemica potest evadere“ (1).

Has sententias recentioribus de coniunctiva explorationibus anatomicis aliqua ex parte consentaneas, sed iis, quae ab Rust, de Graefe, Mueller, Juengken propositae sunt, dissimillimas, auctores modo nominati in libris suis accuratius defenderunt ac satis acute illustrarunt, ita ut rem fusius expedire prorsus supervacaneum videatur. Veruntamen rationes ab his viris ingeniosis allatae, quamvis appareant manifestae et evidentes, iniiciunt dubitationem non mediocrem ei, qui morbum illum ipso intuitu cognovit.

Catarrhus enim coniunctivae, seu ophthalmia ca-

---

(1) Die sogenannte ägyptische Augenentzündung von Carl obée Leipzig. 1841.

tarrhalis, qui non rarius quam catarrhus tunicae mucosae pulmonum nec non nasi occurrit, similiter ex cutis perspiratione propter temperiei varietatem repentinam oppressa ortus, incipiente vere vel autumno saepissime homines affligit. Aegrotus palpebrarum coniunctivam rubore fusco vasis turgidis nato, praecipueque in oculorum angulis conspicuo, habet suffusam, ita ut illa holoserici rubri imaginem referat, inflammatione quam maxime augescente; ardore vexatur molestissimo, velut arena aut aliud corpus alienum inter oculi bulbum et palpebras haereat; dolorem capit aperiendo et connivendo oculos, qui luce et aëre graviter affici solent, itemque fervidas lacrymas haud exiguas exhibent. Saepissime palpebrae, ophthalmia catarrhali diutius persistente, glutine mane obductae cernuntur, apertae incutiunt dolores e marginibus corrosis natos. Secreta pituita exigua est, interdum quidem filo mucoso bulbus est oblitus. Morbi exacerbationes vespertinae sunt. Hoc malum, quod haud raro in milites invadit, cum eo, quo cives tentantur conferens, nil inveni, quo inter se differant. Veruntamen ex omnibus libris de ophthalmia Aegyptiaca editis elucet, primum huius morbi stadium, a de Graefe hydrorrhoeae nomine designatum (1), vel Eble auctore primum eius gradum (2), accuratissime cum ea consentire. Quomodo hoc fieri possit, e nostri morbi evolutione infra descripta videamus necesse est. Ceteroquin, cum nominatos au-

(1) Die Epidemisch-contagiöse Augenblennorrhöe Aegyptens, in den europäischen Befreiungsheeren, ihre Entstehung, etc. Berlin. 1823.

(2) l. c. §. 37.

ctores sequimur, hoc in stadio versantes aut nullis aut exiguis tentantur doloribus, interdum typum certis legibus obedientem sequentibus, pauci solum, plethorici videlicet aut erethistici, incidere solent in febrem cum vespertinis exacerbationibus coniunctam, plurimi vero, si discedas ab affectione topica, optima gaudent valetudine, omnes functiones rite peragentes. Hic morbi gradus ex auctorum sententia intra octo vel quindecim dies, si res prospere evenit, perfecte deleri, ipsaque coniunctiva in statum normalem restitui potest. Sed nos non possumus diffiteri, hunc morbi gradum quidquam aliud esse, quam syndesmitidem catarrhalem, quae sine reactione organismi aut cum ea quotidie ingruat.

Simulatque vero militem ea laborantem ad nosocomium militare transposui, brevi tempore post inflammationis catarrhalis symptomata fere semper cesserunt signis pathognomonicis, quae Eble in gradu secundo ophthalmiae catarrhalis bellicae enumeravit. Imprimis corpus papillare coniunctivae intumescere, epitheliumque detrusum sensim evanescere coepit, papillae primo quidem rarae atque exiguae, tum, epithelio magis magisque eroso, ad palpebrarum margines usque sese extenderunt, atque interna palpebrarum lamina arena conspersa, seu corrosa esse videbatur. Deinde ita creverunt papillae, ut coniunctiva aliqua ex parte ad ovulorum piscinorum similitudinem accederet, hanc tamen magnitudinem, morbo ad summum provecto, tantum referentes. Coniunctiva eo infecta fluidum mucosum ab initio quidem tenuius deinde vero tenacius secernebat,

in quo microscopio adhibito corpuscula mucosa nec non epithelii corrosi particulae cernebantur. Inflammatio nisi evanuit, blennorrhoea nascente, ut ipse interdum expertus sum, potius adaucta in chemosin transire consueverat, id quod in epidemiis praesertim evenit. Tum omnes oculi partes externae intensius corripiebantur, palpebrarum integumenta oedematis retinebant speciem et subrubra erant. Quo factum est, ut palpebra superior suo ipsius pondere deprimeretur. Photophobia permagna aegrotum exercebat itemque dolores pungentes et urentes, vespertino potissimum tempore typum fere intermittentem offerentes (1).

---

(1) Non ineptum videtur, hic illius summi gradus morbi descriptionem adnectere, quem quidem, a de Graefe Pyorrhoea nominatum, ex intuitu cognoscendi nunquam mihi data est occasio, de quo autem scriptores hoc modo exponunt. Praestare illum reliquis gradibus omnium symptomatum intensitate et extensitate. Dum enim corpus papillare ad summam perveniat magnitudinem, cuncta coniunctivae adustio ita augeatur, ut chemosis vehementissima emergat maleque tangantur omnes oculi partes tenuiores. Afflictorum oculos clausos teneri, maxima affectos sensibilitate, atque utriusque palpebrae magnitudinem opinione omnium saepissime esse incredibilem. Etiam coniunctivam scleroticae magnitudine normalem triplo superare, ubicunque plena vasis tanquam infusis. Qua ex re intelligimus, vehementissime progredi malum ad supremum stadium perductum, in quo secretiones mucosae non tam accrescant, quam diminuantur. Pulsa vero inflammatione, humor quidam subviridis et puriformis undique tam largus copiosusque effunditur, ut huic morbi stadio nomen indiderit. Simul in scleroticae coniunctiva, inprimis autem in cornea extrema suppurationes quaedam enascuntur, e muco corrodente et supra corneam retento originem trahentes, quare cornea dissolutis lamellis tam languida apparet, ut solam recipiendae lucis facultatem habeat. Corpus coniunctivae papillare quam maximam offert extensionem et

Ita blennorrhoea nostra ab ophthalmia catarrhali ducit originem, ex qua tamen non sola, sed simili modo e scrophulosa etiam et rheumatica solet gigni, omnesque inflammationes, quales sunt initio, pro sua indole blennorrhoeae prorsus cedunt. Quod quum cognovissem, milites ophthalmia quadam laborantes extra nosocomium sanandos curavi, atque edoctus sum, blennorrhoeam his conditionibus datis nunquam procreari. Praeterea ophthalmias in aliis nosocomii cubiculis, quam quae recipiendis oculo afflictis inservire solent, lucem potissimum aëremque non desiderantibus, prospere auferri vidi, eamque ob rem inde magnopere dubitavi, an cellae ad recipiendos oculis afflictos constitutae apte sint electae, tum quod in locis caliginosis sitae eaeque velis insuper obscuratae sint, quo efficitur, ut inflammatio transeat in blennorrhoeam, tum quod aliam adhuc causam, ut illa existat, accedere necesse sit, nam semper una atque eadem nascitur blennorrhoea.

Hancce causam in contagio cerni contendo. Priusquam vero, ut quis meae sententiae experientia quidem

---

granulationes, verrucis prominentibus haud dissimiles, vulneris granulantis faciem praebent, colore purpureo-sanguineo. Haec coniunctivae palpebrarum mutatio, morbo ad summum progresso, bulbi quoque coniunctivam, de Graefe et Eble testibus, solet corripere, tamen ex palpebra superiore ad segmentum bulbi tantum superius transiens, quum alio in loco coniunctivae bulbi corpus papillare non adsit. Muci puriformis secretio tanta est, ut genas aegroti semper inundet, quem vehementissimi dolores tempore vespertino secundum typum periodicum invadunt, ad mediam usque noctem perdurantes. Haud raro in stadii huius acme corneam ita videmus destructam, ut oculi rhexis sequatur.

confirmatae suffragetur, postulo, alios consulam, qui rem acutius sint perscrutati. Steinberg (1), medicus militaris in castro Moguntiaco, in quo iam multis ex annis illa sedem suam constituit, diligenter blepharoblennorrhoeam observavit. Ex eius libello intelligimus, ea in urbe exercitus tantum Borussicos, Austriacos nunquam, blennorrhoea contagiosa corripi, quamvis iisdem addicti sint vitae rationibus iisdemque laboribus et vigiliis distineantur. Docet nos praeterea auctor ille, milites Borussicos blepharoblennorrhoea affectos in nosocomio ab aliis separato curari, atque hunc morbum ex anno 1818 ad hunc usque diem omnino non evanuisse. Hinc consequitur, quandam esse causam, quae in loco aliquo morbi semina integre asservet, faustisque conditionibus oblatis ea progerminare sinat. Mueller (2), blepharoblennorrhoeae, de qua agimus, observator diligentissimus, profitetur, se nulla re posse adduci, ut unam noctem permaneat in cubiculo ubique praecluso, in quo dormiant homines, quorum nonnulli malo dicto laborent.

Jam veteres denique auctores persaepe de ophthalmiarum contagiositate fecerunt sermonem, ut Sennertus (3), qui haec refert: „Etenim, inquit, hoc commune omnibus morbis contagiosis, ut excrementa

---

(1) Fragmente zur Ophthalmiatrik von August Steinberg Dr. med. Mainz 1844.

(2) Erfahrungssätze über die contagiöse Augenentzündung. Mainz 1824. p. 84.

(3) Sennert, Practicae medicinae lib. III. 2. p. 333.

eius partis, quae maxime laboret, praecipuam vim contagium propagandi habeant, et ut illa pars maxime inficiatur, a quo excrementum contagiosum separatum est. Ita in ophthalmia excrementa et effluvia oculorum adspicientium oculos inficiunt, non alias partes." Huc accedit, quod exhibent veteres, contagiosum illud inquinamentum ex atomis minimisque corpusculis constans interdum per aërem spargi et huc illuc vagari, semina pestifera longe lateque propagans: quae recepta similem oculo dispositionem inculcent.

Neque enim vero fuerunt, qui blepharoblennorrhoeae originem inde repeterent, unde secundum observationes modo allatas iure meritoque sit deducenda. Qui de ophthalmia Aegyptiaca scripserunt, contagium quidem esse contestantur, quod non solum per contactum, sed etiam per distans morbi semina latius opinione dispergat. Omnes tamen et veteres et recentiores summo tantum morbi gradui, eidemque epidemico, tribuunt contagium. Eble (1) morbum absolute contagiosum secundum suas disquisitiones omnino negat, tantumque concedit acuto morbi decursu, in gradu secundo maximeque tertio conspicuo, tum eo potissimum, quod plures iique illo malo correpti eodem in loco vitam agant, contagiositatem promoveri. Admonet demum, ut inter omnes caussas malum procreantes ante omnia aërem in eiusmodi cubiculis valde infectum respiciamus. In universum vero abhorrent

---

(1) l. c. §. 54. sqq.

medici a ponendo semine peculiari, ex quo morbus iis maxime locis gignatur, in quibus homines blepharoblennorrhoea oppressi per longum tempus morati sint, ita ut istud cuivis oculis laboranti modo accedenti blennorrhoeae speciem conciliet. Ad hoc statuendum et meae observationes supra appositae et experientiae, quas nobis praebet ante omnia nosocomium illud Moguntiacum, pro talibus tantum aegrotis constitutum, nec non aliae quam maxime me impellunt.

Simul mihi videtur necessarium, et simile quidquam afferam, quod defendendae sententiae a me propositae inserviat. Insignis cum blepharoblennorrhoea hac militari similitudo est neonatorum ophthalmiae, in multis grassanti praesertim obstetriciis institutis, in quibus, summa quidem munditia diligentissimaeque cautione adhibita, sedem suam in sempiternum videtur collocasse, dum ab aliis eiusmodi institutis fere semper procul abest. Nulla igitur alia re videtur esse propagata, quam contagione locis, quibus infantes cincti sunt, inhaerente. Et haud supervacaneum est, commemorare rem quandam ab Andreae, viro illo illustri, enarratam, quae satis manifeste docet, contagium loco quodam retentum asservari (1). Accidit enim, ut ab infante matri traderetur neonatorum ophthalmia. Quum ambae cubiculum, quod inhabitabant, reliquissent, femina quae-

(1) Lehrbuch der speciellen Augenheilkunde von Dr. A. Andreae. Leipzig 1846.

dam in idem immigrans etiam eodem morbo corripiebatur, qui ab illa gradu tantummodo differebat. Num igitur quaerimus, unde profectum sit contagium? Nonne concedamus necesse est, blepharoblennorrhoeam militarem simili ratione transplantari? Etiam in nosocomiis militaribus summam impendi diligentiam munditiei servandae atque curandis talibus aegrotis; quippe qui cubicula maxime exsiccata eademque optima accipiant, constat inter omnes. Quid est igitur, quo malum propagatur? Quid semen est, ex quo blepharoblennorrhoea militaris progerminat in omnibus aegrotis eiusmodi cellas tenentibus, in quibus antea homines blennorrhoea affecti aut versati sunt, aut adhuc versantur? Mea quidem sententia nihil aliud est, quam contagium, quod aut per distans aut per contactum (id quidem perraro) e quodam gradu blennorrhoeae, sive cum febri, sive sine ea emergentis, iterum iterumque natum vim suam exserat, simulatque oculis aegrotans fines eius, intra quos efficax sese exhibet, ingrediatur.

Quum autem praeterea opinione quoque multorum scriptorum blepharoblennorrhoea militaris non solum ex ophthalmia catarrhali oriatur, sed etiam ophthalmiae scrophulosae et rheumaticae in nosocomiis curandae, in quibus blennorrhoea aegrotantes simul versantur, in ipsam transeant, primum stadium ab Eble aliisque dictum minime tale se exhibet, sed in universum opus est affectione tantummodo inflammatoria coniunctivae, qualis est, ut blennorrhoea gignatur; quae

affectio inflammatoria nihil nisi irritationis stadium (1), a multis auctoribus propositum, praebet, ab ipsa autem natura blennorrhoeae prorsus separanda est.

Appellatione vero, quam Eble vindicat, reiecta, ut id potius morbo proprium habeam, quod contagione semper diffundatur, observationes meae, quamvis minus graves, etiam atque etiam me cogunt. Proinde equidem blepharoblennorrhoeae militaris contagiosae nomen ei imposui.

Addendum est, quod exstat argumentum contagiositatis huius blepharoblennorrhoeae gravissimum. Retinet morbi contagium is, in quo malum, paucis tantum modo coniunctivae granulationibus reliquis, prorsus iam videtur extinctum. Scriptores consentiunt in eo, quod accedente nova inflammatione malum inveteratum statim recrudescat. Quae cum ita sint, Juengken (2) cautelam suadet minime supervacaneam, qua omnes, quorum coniunctiva granulationes adhuc contineat, diligentissime respiciendi a ceterisque militibus sint separandi. Ad firmandam hanc opinionem exemplum afferam. Miles quidam, qui ex alia legione meae adscriptus talibus erat granulationibus obnoxius, priusquam illae essent detectae, commilitones satis multos infecerat, quum, nova oculi inflammatione exorta, denuo in blennorrhoeam incidisset. Quo modo fieri potuit, ut per longum tempus milites eiusdem cohortis hoc morbo

---

(1) Andreae l. c.

(2) Ueber die Augenkrankheit, welche in der belgischen Armee herrscht, von I. C. Jüngken. Berlin. 1834.

laborarent, et illae granulationes, quales apud aliam quamlibet blennorrhoeam frustra quaeras, signum blepharoblennorrhoeae nostrae pathognomonicum exhibentes, semper novum fontem aperirent, ex quo malum latius posset dimanare.

De ceteris causis denique, quippe quae morbum hunc procreare dicantur, non est quod latius disseram, quum in libris a de Graefe (1), Rust (2), Jueng-ken (3), Eble (4), maxime iamiam explicatae et defensae sint. Aetiologicam vero si respicimus rationem, qua militum vestitus ad blennorrhoeam provocandam vim habeat quam maximam, ante omnia bene tenendum est, a vestiendi ratione apud exercitus Borussicos usitatissima procul abesse omnia ea, quae scriptorum opinione detrimentum possint afferre; itemque militum labores non tam esse molestos, quam soleant describi. His rebus omnibus diligentissime provisis malum tamen emergit semperque emerget, dum oculis inflammatis laborantes curantur in locis, qui contagio retento blennorrhoeam facile illis infligere possunt. Verum enim vero caussae in peculiari militum vivendi ratione locatae, quibus ante omnia adscribunt molestissima vigilias agendi onera, nihil nisi oculorum inflammationes rheumaticas, nec non catarrhales hisque similes, quales in

---

(1) l. c.

(2) Die ägyptische Augenentzündung unter der Königl. preussischen Besatzung in Mainz. Berlin 1829 pag. 180. sqq.

(3) l. c. pag. 24. sqq.

(4) l. c. §. 54. sqq.

aliis quoque hominibus apparent, possunt excitare, minime autem blepharoblennorrhoeam militarem contagiosam.

DE MORBI DECURSU ET EXITU.

Morbi decursus, de quo agere non omittam, semper fuit longior atque incertus omnibus in casibus, quos videre mihi licuit. Etiam aegrotos, qui ab initio blepharoblennorrhoea acuta laborabant, nec non illos, quos simul reactio febrilis tentabat paucos post dies, inflammatione artis legibus mitigata, febrique remota, blepharoblennorrhoea chronica invasit eiusdem indolis, cuius supra fecimus mentionem, subacutae nomine haud indigna. Quo in statu quum morbus per quatuor vel plures hebdomades perstaret, propter hanc temporis diuturnitatem non raro obtigit, ut aegroti ad domum paternam remissi sub faustioribus vitae conditionibus integram valetudinem recuperarent. Imprimis autem coniunctivae affectionis decursus e singulari cuiusdam aegroti constitutione pendere videbatur. Nam cum apud scrophulosos et ad rheumatismum pronos, tum apud cachecticos blepharoblennorrhoea per longissimum fere semper temporis spatium manebat, iidemque ad recidivum morbum nunquam non deprehendebantur proclives. Numquam vero, id quod multi confirmant, blepharoblennorrhoeam per certum temporis spatium decurrisse cognovi, sed, symptomatibus saepissime sine causa mutatis, decursus longior idemque incertus evasit.

Quod attinet ad morbi exitum, haec experientia me docuit. Primum aegroti aut tardius aut citius, prout corpus papillare vel potius granulationes coniunctivae plus minusve accreverant, convaluere, quum morbi evolutio aut arte aut, si levioris esset momenti, militibus domum ad tempus dimissis, reduceretur. Si talis contingit exitus, palpebrae granulationibus evanescentibus ad normalem conditionem redeunt, quum earum intumescentia oedematosa plane fugiat. Coniunctiva infirma, cuius secretum tunc diminutum est ac tenuius, denique vero prorsus evanescit, retinet quidem dissolutionem quandam, sensim sine remedio cedentem, sed ad statum normalem reversa vasa etiam, quae adhuc perlucebant, non amplius praebet, quo facto aegrotus demum sanitatem integram recuperat. Deinde vero, id quod in casibus nonnullis accidit, pannus oculi potest obvenire. Quem morbi e gradu supra descripto exitum animadvertimus, si subest simul complicatio scrophulosa et rheumatica, in qua cornea ab initio per se iam infecta vasisque impleta cernitur. Granulationibus igitur sine dubio corneam aegrotam perpetuo irritantibus pannus oculi enascitur; qui exitus, quum sanationem effici plerumque non patiatur, cernendique facultas aut omnino aut aliqua ex parte intereat, maxime est deplorandus.

DE MORBI CURATIONE.

Sicuti medici de huius morbi aetiologia, ita etiam discrepant, quaerentes, quomodo sit curandus. Quare

fit, ut, quot epidemiae grassatae sint blepharoblennorrhoeae contagiosae, tot curandi rationes; quot medici tales aegrotos habuerint, tot paene medendi genera inveniamus. Omnes auctores iique celeberrimi opiniones suas non tam argumentis a ratione desumtis, quam eventu secundo probant, ita ut in eorum scriptis iudicia maxime inter se dissidentia rationesque medendi valde contrariae exstent. Juengken, illustris nostrae aetatis ophthalmologus, sanguinis detractiones absolute necessarias commendat, ipsasque venaesectiones ad lipothymiam usque imperat, de qua curandi ratione vehementissime conqueritur Dzondi vociferans (1): „Profecto! lacrymas effundam sanguinolentas, quod naturam humanam ita vexatam sentio, vel potius extremi iudicii tubam mihi expetam, ut medicorum aures hoc clamore fatigem: „„quae vos dementia cepit!"" Alii quodvis medicamen topicum perniciosum censent, alii fere semper ad tale confugiunt, se remediis causticis ipsum morbi gradum supremum sustulisse contestantes. Percurrentes igitur innumera consilia, lectori obvia, sanandique rationes prospere adhibitas, non possumus, quin ipsi examinemus ea, quae nobis maxime convenientia visa sint, morbumque ipsum principiis a propria eius indole repetendis ducti curemus.

Morbum incipientem, eoque in stadio versantem, quod, ut supra vidimus, inflammationem oculi vel ca-

(1) Die einzig sichere Heilart der contagiösen Augenentzündung etc. von Dzondi. Halle 1835. pag 24.

tarrhalem vel rheumaticam, vel aliam cognovimus, si vis curare, ante omnia prospice, ne aegrotos colloces in cellis, ubi blennorrhoea afflicti cubant, quum contagium ex observationibus supra allatis aut statim aut citissime quidem efficiat, ut granulationes exsistant. Cubicula, in quibus tales aegroti sanandi sunt, ampla et lucida sint aëreque puro et salubri instructa necesse est. Aërem absorptum et infectum cum ventilatoribus, in supremis fenestris institutis, tum fenestris tempestate idonea quotidie saepius aperiendis, ita tamen, ut aegroti aëris perflatui non sint expositi, renovari cures. Ceterum fenestrae minime sunt velandae, nam aegri photophobia nondum affecti obscurandis cubiculis certo in eam incident, quum oculi amissa luce, necessario irritamento, summam accipiant sensibilitatem, difficillime tantum et longo demum temporis spatio interposito removendam. Accedit, quod apud aegrotos, qui per longum tempus lucis irritamento caruerint, eamque ob causam systema nervorum ocularium praebeant omni vigore privatum, facillime emergit blennorrhoea, quippe quae, qualemcunque membranam pituitariam invasit, semper sit signum relaxationis cuiusdam certissimum, et functionem indicet e fracto actionis vegetativae vigore ortam. Quod si concedimus, diffiteri nequimus, illam quoque rem multum valere ad blennorrhoeam efficiendam.

Hae cautelae omnes nunquam sunt negligendae, quum solae, quominus illud morbi stadium in blepharoblennorrhoeam transeat, certissime impediant.

Jam antea commemoravi, me hoc inflammationis stadium, quod vel ophthalmiae catarrhalis, vel blepharosyndesmitidis, vel reliquarum ophthalmiarum speciem praebet, omni tempore ab ipsa blepharoblennorrhoea, quae semper una et eadem indole est, prorsus separatum invenisse. Itaque sanandi rationes illis morbis consentaneae sunt eligendae; de quibus tamen accuratius disserere non opus est, quum libri praestantissimi ab Andreae, Juengken, aliis scripti satis de hac re agant.

Jamiam venimus ad blepharoblennorrhoeam militarem ipsam curandam nobis propositam. Omnia, quae de sanguinis detractionibus exstant, certamina omittere liceat, quae detractiones aut topicae aut universales tunc demum in usum et praecaute quidem vocandae sunt, cum reactio inflammatoria aut topica aut universalis ex inflammationibus istis in blennorrhoeam ipsam simul transit, eademque ratione curatio interna medicaminibus antiphlogisticis est instituenda. Quae cum ita sint, curatio in omnibus fere casibus, qui totius organismi reactionem, non tam ab ophthalmia profectam, quam potius ex iisdem caussis oriundam, quibus oculi inflammationem conflatam conspicimus, ob oculos ponunt, indicationi caussali respondeat necesse est.

Ceterum ne omittamus, si aegroti, inflammatione oculi graviori per hoc stadium, ut ita dicam, ingressa, sub vesperam de capitis doloribus, fronti potissimum insidentibus, cum violentissimo oculorum cruciatu,

quasi terebra concitato, atque ad mediam usque noctem persistente et secundum typum intermittentem revertente, coniunctis graviter conqueruntur, usum chinii sulphurici opio remixti, quod quidem medicamen veteres et recentiores cum huic malo in universum saluberrimum tum hoc compositione utilissimum magnopere praedicarunt, maxima afferre commoda.

Quod vero attinet ad photophobiam, quae in casibus blennorrhoeae acutis nonnumquam permagna, in complicatione scrophulosa paene inexpugnabilis est, usum herbae conii maculati summa assensione comprobo, quo omnium opinione cito illa removetur. Huius medicaminis portionem satis magnam et paulatim auctam porrigas, ita ut primo circiter tria, tum vero quinque grana pro dosi quater per diem sumenda praescribas. Hoc remedium, a nonnullis medicis etiam pro specifico habitum, ad blennorrhoeam auferendam non plus valet, quam alia eiusmodi, a medicis multis ex annis adnumerata specificis.

Vesicantia cervici aut posterioribus aurium partibus applicata, ut cum blepharoblennorrhoeam inflammatoriam, tum photophobiam opprimerent, in universum commoda non adeo magna attulerunt, tum demum efficacia, quum cito sanata novis supplerentur, (quae dicunt vesicantia volantia).

Quodcunque vero medicamen adhibes, in hoc semper rerum cardo vertitur, ut topice cures blepharoblennorrhoeam, quippe quae sit profecta e coniunctiva in deterius mutata. Nam eae medendi rationes, quae

interna contra coniunctivae granulationes medicamenta exigunt, ne minimam quidem utilitatem praebuerunt. Fuerunt quoque, qui ad hydrargyrum chloratum mite, ad hydrargyrum bichloratum corrosivum, quod a Dzondi propositum adhibuerunt, nec non ad kalium jodatum, ad oleum iecoris Aselli, vel etiam ad decoctum Zittmanni confugiendum esse censuerint. Sed his omnibus remediis non magis, quam continuo laxantium usu, coniunctivae mutationem sublatam aut inhibitam esse, ipse expertus sum. Proinde nihil relinquum est, quam ut morbum medicaminibus topicis curemus, quippe quae sola granulationes increscentes possint delere. In his praecipue sunt:

1) collyria, quae quidem, nisi aegrotantem palpebrarum laminam internam attingant, omnino non proficiunt ad blepharoblennorrhoeam tollendam. Simplici aqua plumbica, leniter tepefacta atque oculo per lintea imposita, irritationem magnam, qua oculus aegrotus laborat, facile mitigare poteris. Ad quam rem efficiendam etiam belladonnae, hyoscyami, reliqq. decocta commendarunt, ad secretum praecipue mucosum ex oculo eluendum aptissima, quod idem aqua calida quoque consequeris. At si non solum secretum ipsum coërcere, sed etiam granulationes auferre conaris, ad collyria confugias necesse est, quae contrahendo, eaque ratione secretum coërcendo atque omnino processum coniunctivae vitalem abnormem ad normam reducendo, vim saluberrimam exserunt. Simili modo collyrium e zinco sulphurico et collyrium e cupro sulphurico Pharm.

mil., nec non solutiones argenti nitrici, lapidisque divini proficiunt, ita ut, secreto remoto papillisque deletis, coniunctiva ad statum normalem redeat. Quem tamen eventum prosperrimum tum obtinebis, quum illa collyria oculo instillaveris. Omnibus autem longe praestat argenti nitrici solutio, primo tenuior, deinde validior. Tincturam quoque opii simplicem, aqua destillata dilutam, non frustra praescripseris.

Hac tamen in re probe tenendum est, illa collyria efficacitatem tum tantum exserere, quum coniunctiva nihil nisi parvos tumores eminentes, arenae granis haud dissimiles, ostendat, mucique secretio adhuc exigua atque omnino corpus papillare in infimo accessionis gradu appareat. Praeterea multos alios liquores ophthalmicos ex aqua chlorata, hydrargyro bichlorato corrosivo, natro boracico, acido sulphurico diluto, reliqq. compositos magnopere collaudarunt, quorum autem effectum, quamvis mihi ignotum, pluris, quam illorum, quos modo commemoravi, aestimare non possum. Nostra aetate et antea medici

2) unguenta in usum vocarunt, sed bonum eventum obtulisse, nunquam vidi. His adnumerandum est unguentum Buettneri, cum hydrargyro amidato-bichlorato paratum, unguentum a Guthrie propositum, in quo argentum nitricum fusum inest, multis probatum; adde denique unguenta illa cum hydrargyro chlorato miti, cum hydrargyro oxydulato nigro composita, alia. Omnia haec unguenta minorem collyriis effectum habere mihi videntur, propterea quod eorum

minima tantum pars oculo potest applicari, et fere omnia, si excipias unguentum Guthrii, quum esset contra pannum oculi saepe efficacissimum, refutanda sunt.

Quodsi vero gradum adauctum corpus papillare obtinuit, papillaeque ad marginem usque palpebrarum accreverunt, atque earum lamina interna sauciatae superficiei, granulationes secretionesque non exiguas exserentis, speciem praebet, si denique coniunctiva, inversa palpebra, tanquam torus ex rubro subniger, granulationibus plenus rugisque sulcatus apparet, ad

3) remedia caustica propere confugias. In his maxime inclaruit argentum nitricum fusum, vel in gradu huius blennorrhoeae suprema, palpebras extrorsum converti non amplius permittente, a Kerst, Gobée, aliis medicis Batavis adhibitum et commendatum. Hoc remedio, in linteo humido fastigato, omnes palpebrarum, et superioris et inferioris, partes internae initio quidem leniter oblinendae sunt; quo facto lac tepefactum, aut oleum amygdalarum dulcium, (auctore Werneck solutio natrii chlorati), oculo per penicillum molle instillandum est. Operatione quidem peracta, aegrotus dolores sentiet satis acerbos et coniunctivae facies albescet. Postero vero die, quo rubore rursus suffusa apparebit, aliqua tumoris pars cesserit. Tum tertio vel quarto die post operatio repetenda est, ita ut iusta spatia interiicias, in quibus eiusdem medicaminis solutione aut tenuiore aut validiore pro collyrio utaris. Qua re palpebrarum coniunctiva prorsus deleta in

superficiem cicatricosam mutabitur, in qua postea morbi processus radices agere non amplius poterit; id quod ex observationibus novissimis elucet. In applicando denique argento nitrico fuso diligentissime cave, ne puncta lacrymalia aut palpebrarum marginem tangas. Praeterea etiam cupri sulphurici, eodem modo adhibiti, effectus sum expertus, qui, quamquam non evidentes, tamen in levioris momenti casibus prosperrimi evaserunt. Vis eiusdem caustica, quum sit minus valida, quam medicaminis modo commemorati, per longius tempus exploranda est.

Denique in his omnibus sanandi rationibus non possum non cautelam etiam atque etiam respiciendam commendare, qua oculum aegrotantem, omnibus medicaminibus remotis, interdum conquiescere patiamur; ceterum vivendi ratio cui aegrotus est assuefactus, exceptis potionibus acrioribus, hac blennorrhoea instante minime est restringenda, ne viribus nimium diminutis vis naturae medicatrix prorsus negligatur.

VITA.

Natus sum ego Rudolpus Hesse Prussendorfiae, vico apud Sorbigam sito, die IV. mensis Januarii A. MDCCCXXII, patre Joanne Christiano, matre Carolina, e gente Kloss, quos ut mihi Deus optimus maximus vigentes adhuc florentesque per longam annorum seriem conservet, rogo precorque. Fidei addictus sum evangelicae. Non tam litterarum primitiis, quam elementis doctrinarum scholasticarum imbutus Delitii, quam urbem iamdiu patriam nominare licet, scholam latinam orphanotrophei Halensis, tunc sub Cel. directoris Schmidt auspiciis florentem, per duos annos frequentavi et anno h. s. XLI mense Octobri in numerum commilitonum scholae medico-chirurgicae Parthenopolitanae a directore Andreae, viro illustrissimo et optime de me merito, receptus sum. Per sex semestria huiusce scholae audivi praeceptores dilectissimos, quibus omnibus quantas possum habeo gratias semperque habebo. A. h. s. XLV mense Martio, postquam examen medico-chirurgicum absolveram, legioni regiae pedestri XXVI chirurgus adscriptus sum. Ab hoc tempore rursus in litteris ita sum versatus, ut mense Januario a. h. s. XLVIII testimonium maturitatis in schola latina orphanotrophei Halensis acquirerem. Tempore paschali eiusdem anni paene praeteriti inter cives Academiae regiae militaris Berolinensis receptus, hisce interfui scholis:

Ill. Werder de logice et metaphysice:

Ill. Lichtenstein de zoologia;

Ill. Weiss de mineralogia;

Ill. Mitscherlich sen. de chemia experimentali;

Ill. Schultz de botanice.

Jamiam legitimis examinibus et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram Decano maxime spectabili C. G. Ehrenberg et coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantnr.

THESES.

1. Carcinomatis excisio non efficit sanationem.
2. Remedia multa contra morbum commendata ignorantiam indicant.
3. Symptomata inflammatoria a processu blennorrhoicò ipso discernenda sunt.
4. Placenta organica ratione retenta nunquam naturae tradenda est.